

ACTA COMMISSIONUM

**PONTIFICIA COMMISSIO
DECRETIS CONCILII VATICANI II
INTERPRETANDIS**

Responsa ad proposita dubia

Patiens Pontificiae Commissionis Decretis Concilii Vaticani II interpretandis, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, respondentum esse censuerunt ut infra ad singula :

I.

(De indulto reducendi Missas fundatas)

D. — Utrum vi facultatum concessarum per Litteras Apostolicas *Pastorale Munus* d. 30 novembris 1963, nn. 11-12, Episcopi possint reducere, vel etiam, si casus ferat, extinguere obligationem Missarum fundatarum, cui in praeterito culpabiliter satisfactum non sit.

R. — *Affirmative* quoad reductionem Missarum fundatarum, servata, quantum fieri potest, fundatorum vel offerentium voluntate; *negative* quoad exstinctionem.

II.

(De recursu in casu processus remotionis parochi)

D. — Utrum recursus qui, iuxta n. 106 Constitutionis Apostolicae *Regimini Ecclesiae Universae*, interponi potest a decisionibus SS. Dicasteriorum ad Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae, in casu processus remotionis parochi sit in devolutivo tantum vel etiam in suspensivo.

R. — *Negative* ad primum; *affirmative* ad secundum, seu recursum non esse tantum in devolutivo, sed etiam in suspensivo ex analogia cum canone 2146 § 3 C.I.C.

Ss.mus Dominus Noster Paulus Pp. VI in Audientia die 1 iulii 1971 infrascripto impertita supradictas decisiones ratas habuit, adprobavit et publicari iussit.

PERICLES Card. FELICI, Praeses

L. ☩ S.